

in refectorio majoris Ecclesiae, in praesentia D. Ottonis Aquensis Episcopi, utrumque consilium Aquense una cum consulibus per campana in simul congregatum de communi voluntate, & eorum sponte super eo, quod erant excommunicati occasione collectae, sive taliae, seu fodri, quod ab Ecclesiasticis Aquensibus exigebant, & super damnis Ecclesiasticis datis, & injuriis illatis juraverunt stare mandatis dicti Domini Episcopi uni, & pluribus uno, & diversis temporibus sine aliquo tenore; qui Dominus Episcopus recepto juramento a quolibet super praedictis praecipit iis omnibus, ut de cetero dictis Ecclesiis taliam, sive collectam, seu fodrum nullo modo imponant, & eorum res eximant a banno, nec clericos eorum forestent, nec ponant in banno; & quod de cetero talia, vel consimilia non faciant; & quod omnes jurent, ante quam eximantur ab excommunicatione, & emendent, & restituant damnum datum a die Dominico ad octo dies, & qui non juraverit, nullo modo recipiatur ad divina: Item praecipit consulibus, ut eligant pro quolibet tricerio homines, qui faciant omnes jurare stare mandatis dicti Domini Episcopi, ut supra, & de veritate dicenda, consules erant isti: D. Morandus, Ven. Magister Henricus, Aicardus, D. Vilelmi: consiliiarii sunt isti, Clavarius, Jacobus Vidixonis, Aicardus Affollae &c. Interfuerunt testes D. Lotherius, D. Bavonus, & D. Aquideus canonici. Henricus Marchisus Notarius S. P. (1) &c.

(1) Huic D. Gulielmus electus Aquensis postulante D. Lotherio praeposito praecipit ann. 1245. indictione 3. die Mercurii 14. junii intrantis, cum esset super lobiam Aquensis Episcopi ante Ecclesiam S. Michaelis de Castelletto, ut plura exemplaria hujus chartae ex breviario quondam Willelmi Pistulae de Meladio Notarius perficeret &c.

*Asscuratio concessa ab Alexand. Mansioni S. Steph. de Tabulis, & Mon. S. Martiani.*

199

M C C X L.

Anno Nativitatis Domini MCCXL., indictione XIII., die Martis XII. exeunte martio, in Alexandria praesentibus D. Oberto Medio Capitaneo, D. Petro de Pado, Boza Not., Bono Johanni Capalla, Manuello Sappa, & Ildeprando Niza testibus. Cum consilio Alexandriae placuisset in majori Ecclesia S. Petri campana, & voce praconis more solito convocato, ut Ecclesiis, hospitalibus, monasteriis, & locis religiosis omnibus fidantia largiretur, sicuti fuerat singulis ipsorum . . . praeterito attributa, & inter ipsa connumerata sit domus, sive mansio S. Stephani de Tabulis, & abbas, & monachi in monasterio S. Martiani de Terdona, & eidem data fuerit fidantia praeterito anno, ut continetur in uno scripto facto . . . de Roba Notarii D. Obertus de Niquitate Alexandriae potestas voluntate, & consensu dicti consilii, & ordinamento, & ex . . . per se, & nomine, ac vice communis & hominum Alexandriae omnium, & singulorum, & hinc districtus dedit plenam . . . fidantiam dictae domui, sive mansioni S. Stephani de Tabulis, ejusque rebus omnibus, & monachis, & conversis . . .

omnibus, & laboratoribus ejusdem, dum non sint de Pavia, Aquis, Septebrio, atque Nicia, & Domino Abbati dicti monasterii S. Martiani, atque ejus monachis, & servitoribus eorundem in rebus omnibus, & personis, eundo ubique stando pariter, & redeundo, dum non sint in offensionibus communis, & hominum Alexandriae, & districtus; & inde dictus Obertus potestas hanc cartam fieri jussit. Ego Otto, qui dicor de Montaldo S. Palatii Notarius interfui, & mandato D. Oberti potestatis hanc cartam scripsi.

*Præcedens documentum extractum fuit ex quodam chartaceo codice, in quo plurima continentur vetusta instrumenta ad Abbatiam sancti Martiani de Terdona spectantia; pag. 115. a præstantissimo, atque amico viro I. C. M. Boccaccio, qui mihi illud huc inferendum tradidit.*

*Præceptum Manfredi Lanceæ Vic. Imp. latum in commune Aquense pro Manfredo Boccaccio.*

M C C X L.

200

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXL., IX. august. In Aquis sub ulmo majoris Ecclesiae, D. Manfredus Boccaccius (1) obtulit, & dedit litteras ex parte D. Manfredi marchionis Lanceæ sigillatas sigillo ipsius D. Manfredi marchionis D. Opizoni de Strata militi, & vicario D. Opizonis de Revello Imperialis capitanei de Aquis, quarum litterarum tenor talis est, secundum quod asserit D. D. Manfredus Boccaccius, . . . qui mihi Henrico infra scripto Notario . . . Nobilibus, & prudentibus viris D. Opizoni de Revello Imperiali capitaneo Aquis carissimo amico suo, & consiliario, & communi civitatis ejusdem dilectis amicis suis Manfredus marchio Lancia S. Imperii . . . superius vicarius generalis salutem, & amorem sincerum. Cum Manfredus Boccaccius civis vester super pluribus occasionibus . . . de vestro communi velit coram nobis quaestionem movere, & suam consequi rationem vobis ex Imperiali auctoritate, qua fungimur districtè præcipiendo mandamus, quatenus die VIII. post receptionem praesentium, vel postquam vobis ostensa fuerint coram nobis sub peremptorio compareatis per idoneum responsorem eidem Manfredi super quibus vocati fueritis de justitia responsuri; & quia Manfredum & . . . familiam, & res suas sub Imperium, & nostram protectionem, & defensionem recipimus, & mandamus vobis districtius injungentes, quatenus contra eundem Manfredum, vel aliquem, seu aliquam de familia sua, aut res eorum in aliquo procedere non velitis, nec vos de ipsis aliquatenus impedire, seu intromittere debeatis, nec eosdem in aliquo molestare, nec etiam ipsum, vel aliquem alium pro eis alicubi rationem, seu justitiam facere compellatis, vel ad justitiam evocetis, nisi coram nobis, vel Imperiali, seu nostra curia speciali. Datum Alexandriae XXI. julii, indictione XIII. Ven. D. Manfredus Boccaccius hanc cartam fieri jussit. Interfuerunt D. Baudicio de Murbello, Ubertus Magister, Henricus Boccaccius, & D. Thebaudus de Campali.